



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 153. Ludovici Regis artes ad terrendum Papam adinventæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

SEcul. XV.
A. C. 1478.

§. CLIII.

*Ludovici Regis artes ad terrendum
Papam adinventæ.*

Gaguin. hist. Franc. lib 8. Paul. Emil. in Ludov. XI Attamen Rex probe noverat, quod Florentinos, quamvis vel maxime vellet, diu tamen armis tueri non posset, cum ipsemet copiis suis indigeret ad propellendum Archiducem, qui ex Germania validum exercitum evocabat, atque emenso induciarum tempore mox Regi bellum illaturus esset; hinc alias excogitabat artes, quibus Pontifici terrorem incuteret. Ergo Aureliæ tam Cleri quam regni sui Procerum comitia indicit, in quibus Sanctio pragmatica restitueretur, atque Annatæ denuo abrogarentur. Hic conventus a Dupino Concilium Aurelianense nuncupatur, quod ipse perperam ad Annum millesimum quadringentesimum septuagesimum septimum ante Pazziorum & Mediceorum diffidia revocat. Post hæc Ludovicus per suos Legatos apud Sixtum Pontificem agere cæpit, ut Florentina civitas interdicto solveretur, & conjurationis complices punirentur, aut saltem Concilium Generale convocaretur. Hujus Legationis Princeps erat Guido de Arpajone Lautreci Vicecomes, & nobilis Camerarius. Huic datum est negotium, ut Regis nomine, ni Papa annue-

ret,

ret, adjectis etiam minis palam declararet, quod Rex se Pontificis obedientiæ subtrahere, moxque ab illius sententia provocare velit ad Concilium, atque ad illud etiam Venetos & Mediolanensem Ducem convocaturus esset; præterea cunctis, qui beneficia ecclesiastica in Galliis habebant, præcepit, ut ad ea protinus redirent, nisi redditibus eorum privari velint.

§. CLIV.

Conventus Aurelianensis ad terrorem Pontificis celebratus.

Verum Aureliæ nil præterea in eo conventu actum est, præterquam quod aliquæ disputationes habitæ sint de integranda Pragmatica Sanctione, & de pecuniis haud amplius Romam exportandis: nec tamen ulla facta est harum rerum decisio, sed totum negotium ad alium Conventum Lugduni celebrandum remissum fuit; nunquam tamen ejusmodi concilium celebratum legimus, eo quod Rex in ejusmodi artibus satis fecundus hunc conventum eo duntaxat sine habuerit, ut Florentinorum gratiam aucuparetur, & Pontifici metum incuteret. Mense tamen Augusto editum est decretum, quo Rex graviter querebatur de severitate, qua Pontificem non sine gravi populi offensione a Florentinis poenas exegisse

sæcul. XV;
A.C. 1478.

Bochsl. in
decret. eccl.
Gallic. l. 4.
tit. 42. c. 8.